



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.  
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,  
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniā, Belgium,  
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Stabvletvm Vulgò Staelo, & Malmvndarivm, vulgò Mamedy, in Arduenna.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11261**

turire, ipsum lapsum riuali grato susurrare murmurare, tantâ sui gratia ad mirandum quoslibet inuitare, alludens speciei, quam crispam & tremulam hilaris adnotauit, ipsum in quo resederat locum, statim Crispiniūm nominauit.

*Crispinium  
à fonte Cris-  
pantus aqua  
dilectum.*

*De sanctis Adeleno & Domitiano, qui cum B.  
Landelino magistro suo Crispinij quiescunt, Mo-  
lanus in Natalibus Sanctorum Belgij.*

## STABVLETVM

*Vulgò Staelo, & M ALM VNDARIVM,  
vulgò Mamedy, in Arduenna.*

*An. 651.*

**A**nno sexcentesimo quinquagesimo pri-  
mo Rex Sigebertus de posteritate pro-  
lis desperans, duodecim monasteria hinc in-  
de construxit Deo. In quibus Stabulaus &  
Malmundarium eminebant, cooperante sibi  
in his Maiore domus Grimoaldo, & Traie-  
ctensium Episcopo Remaclo. Qui Remacius  
non multò post pertæsus secularium tumul-  
tuim, in ipso Stabulaus monachicæ vitæ ad-  
sumsit habitum. Ita Sigebertus monachus Gem-  
blacensis in Chronicō.

*Tom. 7.*

Fuit autem Sigebertus iste Rex Gallia &  
Austrasia, cuius vita historia exstat apud Su-  
rium.

Porrò tam Grimoaldo Maiori domus regia  
)quem nostrates Historiographi secundum Bra-  
bantiae

bantia Duce nominant) quam Sigeberto Regi attribuendam huius cœnobij fundationem, testis est ipse Rex Sigebertus, in diplomate, anno regni decimo quarto à se dato, quod recitat Notgerus Leodicensis Episcopus, S. Remaclii res gestas describens: Sancta ac venerabilia monasteria, Stabulaus, sive Malmundarium cognomina- ta, vbi vir venerabilis Remaclus Episcopus & Abbas, Christo auspice præesse videtur, quæ vir illustris Grimoaldus Maior domus, in honore sancti Petri ac sancti Paulli vel sancti Martini, seu ceterorum Sanctorum suo opere in vasta eremo Ardennensi construxit, quem admodum nos loca ipsa, ad ipsa monasteria ædificanda pro nostra præceptione, ex foreste nostra concessimus; quæ licet gratia Christi sint dñata, mundanam tamen substantiam cernuntur parumper habere. Ideo diuina inspiratione commoniti, decreuimus aliquantulum de fisco nostro ad ipsa monasteria respicere & consolari: & cetera, quæ in eodem scripto (auctor vocat præceptum) sequuntur.

Porrò Stabulense hoc cœnobium ad Ambleum fluuiolum in profunda valle situm, distat tertio ferè milliari à Spadanis fontibus acidis, tota pœnè Europa nominatisimis. Abbas vero Stabulensis inter Romani Imperij proceres recensetur. Fuit hec dignitas multo tempore in familia Comitum à Manderscheit: ex qua prognatus Guilielmus Abbas Stabulensis & Prumi-

Apud Su-  
rium Te. §.

ensis ( quod vetus atque opulentum it idem Benedictinorum in eadem Arduuenna versus Treueros est cœnobium, Reginonis eius loci Abbatis & Chronographi nomine illustre ) arcem insignem ad ipsum montem è regione cœnobij huius construxit, ut habeat eius epitaphium, quod in templi medio legitur. Obiit is anno millesimo quingentesimo quadragesimo sexto. In hac arce Acta publica, codices manuscripti, & sacra supplex pretiosior adseruatur. In eadem moneta officina visitur ( eius enim cudenda ius habent ) & ipsi ibidem Abbes olim, ut plurimum, commorari solent. Hodie Serenissimus Ernestus Bavarus, Elector & Archiepiscopus Colonensis, itemq; Leodicensis Episcopus, cœnobij huius praefecturam, titulo Administroris, obtinet.

Tom: 3:  
lunij 15.

Quot mo-  
nasteria  
à S. Lande-  
lino sine  
fundata.

Porro etsi in quibusdam manuscriptis Chronicis Sigebertini exemplaribus, & in Actis S. Landelini à Surio editis, ( ab incerto tamen auctore conscriptis ) quatuor monasteriorum, Laubiensis videlicet, Aluensis, Vuasariensis & Crispiniensis fundatio B. Landelino attribuatur; Fulcuinus tamen Abbas Laubien, cui hac in parte credeendum existimamus, in MS. Chronicō suo Laubensi disertè adfirmat non nisi Lobiense & Crispiniense monasteria ab ipso esse fundata; Aluense autem & Vuasariense à S. Vrsmaro esse instituta.

C A P.